Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2913
Quelle:
Copyright:

gaudentes. Sunt hae Lectiones Pars *Actorum* extantium apud *Surium* T. I. p. 434.

Fol. 170. p. 2. *In Natale Sancti gregorii pape.* Lectiones VIII. quae incipiunt: *Gregorius genere romanus. arte philosophus* &c. Finiunt: *crudis leguminibus pascebatur.* Excerptae sunt ex *Vita Greg.* scripta a *Johanne Diac.* quam habes in *Act. SS.* T. II. p. 211. in *Mabillonii Act. SS. O. S. B. Sec.* I. p. 496. et *Opp. Greg.* T. IV. *Paris.* 1705. f.

Fol. 172. ad marginem: *De uno confessore.* itidem Lectiones VIII. quarum initium: *Ad sancti ac beatissimi istius patris* &c. Finis: *latronum obsidet multitudo.* Sunt de Homilia *S. Maximi*, quae est LIX. et II. de *S. Eusebio Vercell.* legunturque etiam hodie in *Brev. Rom.*

Fol. eod. p. 2. *In natali unius confessoris qui non fuit episcopus.* Lectiones VIII. Incipiunt: *Seruorum igitur quos populo suo preposuit* &c. Desinunt: *uendite quę possidetis et date elemosinam.* Videntur depromtae ex *Homilia* quadam in illud *Lucae* 12. *Quis putas est fidelis dispensator* &c.

Fol. 173. *In Natale Confessorum.* rursus Lectiones VIII. hoc initio: *Dominicus sermo quem debemus omnes* &c. Hoc fine: *magistro dominico sterilis permanere.* Pars cujusdam Homiliae de Observantia Mandatorum Dei.

Fol. 174. fine ullo Titulo incipit *Enarratio* in Psal. LXIII. *Exaudi Deus orationem meam* &c. sed tantum pertingit ad V. ejus 7. *Sagittae parvulorum* &c. Initium est: *A parte humanitatis assumptę* &c. Finis: *puris mentibus intrauerunt.* Ex quo conficitur, Enarrationem esse *Cassiodori*, quae legitur *Opp.* T. II. *Rotomagi* 1679. p. 208. f.

Fol. 176. habetur *Fragmentum* fabulosum de *D. Thomae Apostoli* missione ad Indos, quod incipit: *Dum Apostolus Thomas qui et didimus esset apud cesaream* &c. Finit: *Nullus pauper. nullus aliquid indigens.* Depromtum ex *Pseudoabdiae Hist. Apostolicae* L. IX. Adi *J. A. Fabricii Cod. Apocr. N. T.* P. II. p. 687.

Fol. denique 177. recurrunt *Lectiones de B. Lucia* usque ad initium *Quintae*, quae jam *fol.* 7. legebantur.

DCCCVI.

Codex membraneus lat. Sec. 376
XI. Folior. 40. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis distinctus *Liturgicus* est et inscribitur: *Incipit Ordo Catholicorum Librorum Qui in Ecclesia Romana ponuntur.* Initium: *In uigilia natalis domini leguntur lectiones. III. de isaia prophetа* &c. Edidit hunc Ordinem *Melch. Hittorpius* c. aliis *Colon.* 1568. f. p. 19. Sunt tamen, in quibus differimus, quae indicabo. Sub finem *Ordinis in Octavis Domini* nobis desunt illa verba: *Post octauas uero usque in Theophaniam* &c. In *Ordine de Purificatione B. Mariae* omittitur, quidquid ad *Benedictionem Cerei* pertinet. *Denunciatio*